



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTRA NEOSOLIENSIS PAROECIALE TEMPLUM VISITATIONI BEATAE MARIAE VIRGINIS DICATUM,**  
QUOD IN LOCO «STARÉ HORY» INTRA FINES NEOSOLIENSIS DIOECESI EXATAT,  
AD BASILICAES MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Intra Neosoliensis Ecclesiae fines, in loco «Staré Hory», eminere novimus antiquum et praeclarum sane paroeciale templum Visitationi Beatae Mariae Virginis dicatum, ubi iam a decimo quinto saeculo insigne servatur simulacrum Deiparae Veteromontanae, et quo incolae loci ac pii peregrinatores e tota quidem regione frequentes accedunt a tam provida Matre supernam atque validissimam opem pietate fidenti petituri. Qua re, cum Venerabilis Frater Rodulfus Balaz, Antistes Neosoliensis, litteris die VIII mensis Maii hoc anno datis, etiam parochi ecclesiae clerique populique sui nomine petiverit ut templum idem titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestarem, Nos, intenti ad ea per quae ferventius Christifidelium excitentur cultus ac devotio erga praecelsam Dei Genetricem, quam a prima Nostra aetate coepimus impense colere, paternae benevolentiae Nostrum signum tam dilectis filiis eiusdem catholicae communitatis cupientes praebere, illius sollertis Pastoris precibus censemus libenter obsecundare. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum paroeciale templum de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicas Minoris decoramus, cum omnibus iuribus ac liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc insignitis nomine rite competit, iis tamen servatis, quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Has denique Litteras Nostras sive nunc sive in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus haud obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Augusti, anno MCMXC, Pontificatus Nostri duodecimo.* AUGUSTINUS card. CASAROLI a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

---